adduxi preterea antiquam & communem Romanae Ecclesiae
consuetudinem, ac interpretationem super alio etiam ar-
ticulo de fide sacramentorum aperui, admonuique opinio-
nem ipsius non esse sanam, sed manifeste dissentire a sacra
scriptura & certa ecclesiae doctrina, quae illi omnino re-
pugnat. Is ad extrauagantem claram & apertam dixit
nescio quid relatione indignum, & petiit diem ad delibe-
randum, rediturumque se affirmat. Ego eum hortatus ut se
cognosceret dimisi, rediitque postridie una cum patre vi-
cario generali congregationis multisque stipatus & cum
experirem ut se ac vere tunc agnosceret, cepit coram
Notario quem secum adduxit protestari. Ego id sub-
ridens iterum humanissime hominem hortatus sum ut relicto
huiusmodi inani consilio ad cor & sanitatem rediret,
Durum esse illi contra stimulum calcitrare, Addit deinceps
se velle in scriptis mihi respondere & causam suam agere
me anteriori die satis digladiatum verbis cum illo fuisse.
Ego audaciam hominis miratus dixi, fili neque tecum digla-
diatus sum, neque digladiari volo, tantum paratus Illust: inuicti
ducis Friderici te paterne ac benigne non disputandi, con-
tendendique gratia audire, sed pro veritate monere & docere
conciliare etiam si voles Sanctissimo Domino nostro &
Romanae Ecclesiae, Rogat tum me is hac vice ut ipsum